BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hermansson, Johan,

Diss. hist. pol. de tribunicia Caesarum Rom. potestate

Upsalia 1720
Diss. 49#Beibd.3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10839374-9

J. A. A.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

DE

TRIBUNICIA CÆSARUM ROM. POTESTATE;

Quam

Cum venia Ampliſſ. Coll. Philoſ. Upſal.

PRÆSIDE

VIRO CELEBERRIMO

DN. JOHANNE

ANGERMANSON

Eloq. & Folit. Prof. Reg. & Skytt.

publico ſiſtit examini

JONAS AND. ASP/

ANGERMANNUS,

In Audit. Guſtav. Maj. die XVI. Decemb.

A. MDCCXX.

UPSALIÆ, Literis WERNERIANIS.

S:Æ R:Æ M:TIS
Magnæ Fidei VIRO,
REGNI SVECIÆ
ARCHIEPISCOPO,
Academiæ Upſalienſis
PRO-CANCELLARIO,
&
Conſiſtorii Eccleſiaſtici
PRÆSIDI,
Reverendiſſimo Eminentiſſimoque
PATRI ac DOMINO,
DOCT. MATTHIÆ
STEUCHIO,
MÆCENATI MAXIMO.

QUi ſummus ipſe Sacrorum Antiſtes es, Cæſares noſtros, ſummos jui ſeculi Heroas, Tuo facile dignaberis hoſpitio. Deeſt quidem illis purpura, deſunt reliqua faſtigii decora, quibus olim

S:Æ R:Æ M:TIS

Magnæ Fidei VIRO,

Norlandiarum Occidentalium

SUPERINTENDENTI,

Gymnasii Hernösandensis

EPHORO

ET

Consistorii Ecclesiastici

PRÆSIDI,

Reverendissimo

PATRI ac DOMINO

DOCT. GEORGIO

WALLIN,

PATRONO SUMMO.

AD sacros inculta Lares Polyhymnia tendit,
Undique Cæsareo *mista sed illa choro.*
AUGUSTOS *comitata Duces, Summosque*
TRIBUNOS,

Au-

lim præfulgere ſolebant. Purpuræ vicem ſupplet levis tantummodo toga, qualem ex hiſtoricorum fide, adornare Minerva potuit rudis. Ignoſcas tamen, Reverendiſſime PATER, *mihi, qui hæc antiqui orbis Lumina, ſuas adeo paſſa eclipſes, ſua deliquia, de Tuo Lumine illuſtriora reddere auſim. Scilicet Tribunicia Poteſtas, ut a Plebejis olim Tribunis originem traxit; ita plebejo etiam hoc veſtita eſt habitu. Nec illa Tibi ſordeat, quæ ſummis in Republica Viris non diſplicuit. Ego vero imprimis ora ſimul ac ſpes meas ad Te convertens, Tribunicium Tuum humillime imploro auxilium. Quod etiam eo certius mihi promiſerim, quo evidentiora dudum gratiæ, in paternam domum propenſiſſimæ, documenta exſtent. Hanc in Filium porro derivatam, inter ardentiſſima pro perenni Tua incolumitate vota, ſummis venerabor præconiis, permanſurus, dum vixero,*

Reverendiſſimi Nominis Tui

Devotiſſimus cultor & Cliens
JONAS A. ASP.

Auguſtum *tentat non bene firma*
gradum.
Scilicet inſtabili nutans mea poplite Clio,
Succiduo dubium nunc pede carpit iter.
Ergo Tuo, VIR MAGNE, ſinu collapſa
quieſcat,
Quæ medicam implorat ſupplice voce
manum.
Exiguæ quoq; ſuſcipias primordia meſſis,
In ſterili nuper quæ mihi lecta ſolo.
Nam lætis mea flaveſcunt non frugibus arva,
Nec niveis rident gramina picta notis.
Non melius ſegni munus ſuccreſcit agello,
Non alia infelix ſemina reddit humus.
Promtior in meritæ pia ſed præconia laudis
Mens erit, ad numeros obſequioſa ſuos.
Vive, PATER, canamque diu ſuperare
ſenectam
Perge, ut dediſcas, dum moriare, mori.
Vive diu, noſtræ ſpes maxima, vive, ſalutis,
Naviget ut clavo cymbula noſtra Tuo.

Reverendiſſimi Nominis Tui

Humillimus cultor
JONAS A. ASP.

Admodum Reverendo atque Amplissimo

DOMINO

MAG. PETRO ASP,

Norcopensium Antistiti longe meritissimo,

PATRUO HONORATISSIMO;

Admodum Reverendo atque Amplissimo

DOMINO,

M. ANDREÆ ASP,

Præposito & Pastori Norensium laudatissimo,

PARENTI OPTIMO,

CARISSIMO.

TOt *quidem ac tanta* Utriusque Vestrum, Carissimi Domini, *in me sunt merita, ut in iis decantandis & ipse mihi desim, & verba me omnino destituant. Quod vivam,* PA-

REN-

RENTIS *est*; *quod bene vivam*, PATRUI. *Hinc summa quoque reverentia, ejus recordor temporis, quo de Tuo*, Honoratissime PATRUE, *ore pendere mihi licuit, felicissimo omnigenæ eruditionis promocondo. Animus inde ac studia in qualemcunque hanc, Tua imprimis opera, adolevere messem, cujus primitias heic Tibi submisse offero, pietatis ac obsequii interpretes. Nec dubito, quin illas benigne sis accepturus: certe dubitare prohibet singularis illa, qua in me semper fuisti, indulgentia, supra laudes ac omnem verborum apparatum longissime posita. Quæ si ulterius me dignari velis, nec uberrima laudibus Tuis materia, nec optimum mihi fortunæque meæ Auspicium, unquam erunt defutura.*

SEd & *Te*, Carissime PATER, *dum dixero, omnia simul beneficia, merita omnia, quæ a mortalium ullo proficisci queant, dico. Non igitur est, cur longa heic texam eorum præconia, aut paternum favorem, tot mihi annis abunde præstitum, extollam; quum ingenii tenuitas*

hæc

hæc non capiat. Filii interea pietas, æternitatis quasi tabula erit, cui hæc, venerabunda manu, inscribam. De cetero, Deus, omnium rerum arbiter, Vos, Carissimi PATRUE & PATER, *qui pari me favore semper complexi fuistis, in Patriæ Ornamentum, commune nostrum decus, & meum denique emolumentum, quam diutissime servet.*

Honoratisſimi Patrui

&

Carisſimi Parentis

Obsequentissimus cultor
& Filius
JONAS A. ASP.

Juvevi Doctrina & moribus
Ornatissimo,

D:NO JONÆ ASP/

De

Tribunicia Cæsarum Potestate pulcre differenti,

PAruit ut quondam legio Romana Tribuno;
Ejus & ad nutus officiosa fuit:
Egerit & caussam miseræ quoque plebis ut ille;
Quamque gradus Romæ magnus honoris erat:
Quam sacer ille fuit; quæ læsi pœna Tribuni,
Et valuit quantum vocula missa, VETO:
Moribus & tandem mutatis, tanta Potestas
Quam fuerit patriæ perniciosa suæ:
Pulcrius heic docta nos ASPIUS *educet arte,*
Atque illum meritus sponte sequetur bonos.

PETRUS SCHYLLBERG.
F. D.

Politissimo Juveni

D:no JONÆ ASP/

De

Tribunicia Cæsarum Romanorum

potestate

erudite differenti,

MArtia Cæsareo dum servit Romæ Tribuno,

Libertas dominis succubuitque novis;

An magis illa stetit justo moderata tenore?

An ruit, indigno tota subacta jugo?

ASPIUS *has docta larvas nunc detegit arte,*

Nec decus ingenii dissimulare potest.

ita adplaudere voluit

JOH. HERMANSON.

Q. F. F. Q. S.

CAPUT PRIMUM.

Succinctam & Ordinum Rom. & Tribunorum Plebis historiam præmittit.

§. I.

QUemadmodum ipsa rerum natura suo stat ordine, quo confuso peritura sunt omnia, judice Fabio; ita nihil omnino in Republica ordine aut pulcrius aut utilius deprehendere liceat. Quod enim societates humanæ arto invicem conjungantur nexu, junctæque mira abundent felicitate, justo id omne debetur ordini. Hic proinde ubi

Inst. Orat. Lib. 7. c. 1.

abeſt, ubi ſurſum deorſum omnia vertuntur, ſenium nullum, proſperitatem nullam imperiis iſtis ſpondeas. Sed uti corpus humanum, oſſium nervorumque ſede luxata, ad munia ſua rite obeunda ineptum eſt; ita & corpus Reipublicæ, ſine Imperantium parentiumque mutuo nexu & ordine mutuo, qui illi inſtar animæ eſt, florere, ne dicam, ſubſiſtere nequit; quippe unde & animorum & ſocietatis conjunctio pendeat. Hinc prudenter omnino Bodinus, civitatem illam, *de Republ. lib. 3. c. 8.* ubi nihil primum, nihil poſtremum, nihil denique medium, ſed cuncta rude quaſi chaos ſint, acervo cuidam, omni genere leguminũ ſine discrimine miſto, aſſimilat, qui omnem demum & ſeminum & acervi uſum amittat.

Quocirca Romani ſua minime defraudandi ſunt laude, quippe qui ordinis in Rep. ſtudioſiſſimi, exiguis admodum initiis, ſummum honoris

ris & potentiæ faſtigium, hoc præcipue nomine, feliciter adeo attigere, ut difficile omnino dictu ſit, utrum plus invidiæ apud vicinos, an terroris apud ſingulos undiquaque inſe excitarint. Patet hoc vel maxime ex triplici illa Populi Romani diviſione, in *Patricios*; in *Senatores, Equites* & *Plebejos*; in *nobiles* denique, *novos homines* & *ignobiles*. A gente & natalium ſplendore *Patricii* dicebantur, utpote Patrum progenies, genere, virtute & opibus præſtantium; erantque duplicis ordinis, & *majorum* & *minorum gentium*. *Majorum gentium Patriciis*, quos Romulus, primus ille Romanæ Reip. ſtator, conſtituit, plurima indies dignitatis & ſplendoris acceſſere decora, ut Conſulatus omnino & Dictaturæ munera initio in eos potiſſimum collata fuiſſe conſtet. *Minorum* vero *Gentium Patricii* illi fuere, qui a Regibus populoque ſequi-

oris ævi in patricium cooptati ſunt numerum, nulla vel natalium vel generis, ſed virtutis tantum ac fortitudinis habita ratione. Quibus deinde annumerati fuerunt ii, qui beneficio Principum, in hujusmodi dignitatis apicem relati fuerant: ad quem ſublimem honorem nemini adſcendere licuit, niſi prius conſulatu, aut præfectura prætorio, aut ſimili honore potitus eſſet. Neque vero hi tantum ſeminarium, ut ita dicam, *Senatorii* fuere *ordinis*, ut Romulus lege olim præſcripta cautum voluit, teſte Roſino; ſed reliquis etiam deinceps, tam equeſtris, quam plebeji ordinis, conceſſum fuit, ſummum hunc adſpirare gloriæ & honoris apicem, modo illum ſibi multis in patriam meritis juſte redimerent. Senatoriæ purpuræ, in honore pariter ac amplitudine, proximum merito adjudicamus locum *Equeſtri Ordini*, ab iis primum, qui equis ſtipendia

vid. L. 3. & 5. Tit. Cod. de Conſul. & Patriciis Sigon. Lib. I. de Antiq. Jur. Civil. Rom. cap. 7. & Lib. II cap. 10.

Antiq. Roman. Lib. I. c. 15. p. 150.

ſtipendia meruere, oriundo. Huic jus aureorum annulorum publica auctoritate proprium fuiſſe legimus; quo a *plebejo*, qui infimorum vilisque fortunæ hominum erat, discerneretur indicio. *Nobiles* vero illi penes Romanos erant, quorum majores Magiſtratibus Curulibus, quales Prætores, Cenſores, Conſules erant, perfuncti, Jus imagines ad poſteritatis memoriã prodendi habuere. Qui vero primi hoc imaginum Jus, atque hanc poſteritatis nobilitatem ſibi ſuisque peperere, *Novi* audiebant *homines*. In *Ignobilium* vero cenſum eos cum plerisque ſcriptorum retulero, qui haud Curulem geſſere Magiſtratum: quare hoc imaginum jure publice erant prohibiti.

§. II.

Ex hisce Rom. Ordinibus, generatim àdeo delineatis, facile omnino cognoſci poterunt inſignes illæ, uti Juſtiniano di- *Præf. Nov.*

cuntur, *Majeſtatis Imperatoriæ notæ*, atque tot *Principatus vocabula*, prout Tacito adpellantur, quæ in Principum quemlibet, vel ipſorum ambitio, vel parentium adulatio ſatis cumulaverant. Hinc tot *Cæſarum*, *Patrum Patriæ*, *Pontificum Maximorum*, *Imperatorum*, *Conſulum*, *ProConſulum*, *Cenſorum* denique nomina ortum ſuum traxiſſe putaverim. Quos inter honorum titulos, ſuo quoque jure, eminuit TRIBUNICIA POTESTAS, eximium omnino Majeſtatis, quam præ ſe ferebat, inſigne. Ut igitur, reliquis omiſſis, hanc nobis altius paululum repetendam ſumamus, poteſtatem illam, tam in Tribunis Plebis, quam ipſis deinceps Cæſaribus examinaſſe, forte e re fuerit. Tuum vero, B. L. in me meaque hæcce favorem, non eſt, cur operoſo verborum apparatu mihi expetam: quum & propenſus ille Tuus in omnes animus, & materiæ, in

Lib. 2. Hiſt. cap 80.

qua

qua versamur, difficultas ac dignitas, hunc mihi etiam atque etiam polliceantur.

§ III.

Non eos quidem jam morror, qui in origine vocis *Tribuni* enodanda, nullum non moveant lapidem, sed conatu, ut videtur, parum utili. Sive enim cum Isidoro, nomen hoc Tribunos ideo adeptos esse dicas, quod *plebi vel militibus jura vel opem tribuerent*; sive a Græco τριτὺς, quod *ternionem* vel *tertiam partem* significat; sive a *Tributo*, quod tributim colligebant, originem vocabuli arcessas, perinde fere fuerit. Varroni tamen lubentius accesserim, Tribunos ideo adpellatos existimanti, quod *Terni a tribus Tribubus Ramnensium, Lucerum, Tatiensium*, olim ad exercitum mitterentur; sive, quod eodem fere redit, *tres Tribus Romanas, a Romulo constitutas, regerent*, ut Alex. Donato placet. Quæ Tribus a ternario illo, quo

de Origin. Lib. 9 cap. 3. & 4.

de Lingva Lat. lib. 4.

in Roma Vet. & Rec. lib. 2. c. 19.

primum, ut vel ex ipso *Tribuum* vocabulo patet, institutæ erant numero, in tantam deinde excrevere multitudinem, ut ultra triginta omnino ex Hoffmanno enumeraverim.

in Lexico universali Tom. 2. v. Tribus.

§. IV.

In originem vero ac numerum Tribunorum Plebis majori inquirere industria, & jucundius & proposito nostro accommodatius fortasse fuerit. Tarquinio equidem, qui ultimus erat Regum, ob nimiam in cives insolentiam, nec non ob stuprum castissimæ fœminæ a filio illatum, & Regia dignitate & mœnibus exuto, summa rerum in Consules derivata est. Quorum profecto uti potestas, ita & in populum sæviendi licentia in dies crevit. Usque dum anno, post Reges exactos, sexto decimo, populus crudelitatis, quam Patricii in nexos obæratosque cives exercuere, pertæsus, servile hoc jugum, secessione in montem sacrum,

trans

trans Anienem amnem, Sicinio quodam auctore, facta, excussere. Neque vero prius se a Senatu in urbem revocari passa est gens illa rebellis, quam levationem æris alieni, Magistratumque e suo eligendum corpore, qui Plebis causſam adversus Patricios postmodum ageret, publico impetraret decreto. Qui proinde *Tribuni Plebis* fuere adpellati, eo nomine a Tribunis Militum diversi, quod hi castris legionibusque, in hostes ducendis, præessent; illi vero plebi adversus Senatum consulerent; graviorum malorum auctores potius, quam medium concordiæ „existentes. Nam hoc modo „nata una in urbe duplex civi„tas, Patrum scil. & plebis; na„ctaq; hæc est suos demagogos, „& blandos ductores adversus „Patres irritantes eandem. Re„ctius feciſſent Patres, si omnia „debita plebejis potius remiſis„sent & edixiſſent, ne quisquam impo-

„impoſterum ſub fœnore mu-
„tuam daret pecuniam, quam
„ut plebi duces ſuos & defenſo-
„res conſederent, fores & de-
„mocratiæ & tyrannidi aperi-
„endo. Verba ſunt cl. JCti Joh.
a Felde. *Officium Tribunorum*,
loquitur Macer, *qui exercitui*
*præſunt, eſt, milites in caſtris con-
tinere, ad exercitationem produ-
cere, claves portarum ſuscipere,
vigilias interdum circumire, fru-
mentationibus militum intereſſe,
frumentum probare, menſorum
fraudem coërcere, delicta ſecun-
dum ſuæ auctoritatis modum ca-
ſtigare, principiis frequenter in-
tereſſe, querelas commilitonum
audire, valetudinarios inſpicere.*
Quorum varia poſtmodum fu-
ere genera: alii *Rufuli* vel *Ru-
tili* cognominati, qui a Con-
ſulibus creabantur; alii *Suffecti*,
qui ſuffragio militum in caſtris;
Comitiati denique alii, qui in
comitiis, populo ita jubente,
in urbe conſtituebantur. Fue-
runt etiam, ut & hoc addam, e
Tribu-

in Elem. J. univ. P. 4. c. 1. Memb. 2. Art. 3. § 8.

e Digeſt. L. 49. Tit. 16. L. 12. § 2.

Tribunis hisce militū *Laticlavii* alii, quippe qui Senatorii erant ordinis; alii vero *Angusticlavii* dicti, qui Equestris. De his autem omnibus egregie adeo, pro more suo, disserit Lipsius, ut nihil omnino post tantam in eo messem, relictum heic nobis sit spicilegii. Sed ad Tribunos Plebis, unde paullulum digressi sumus, redeundum. *in de militia Rom. L. 2. p. 86.*

§. V.

De numero Tribunorum Plebis sollicitos nos esse prohibet Livii auctoritas, qui duos nonnisi initio creatos affirmat, quibus tres sibi deinde Collegas adsciscendi venia data fuit, ut quinque essent. Hi ad denarium mox surrexêre numerum, anno fere, a primis Tribunis Plebis, sexto supra tricesimum. Idque hac præcipue ratione, ut bini ex singulis crearentur classibus, prout lege lata cautum fuit. Quamvis Onuphrius non omnes simul & semel, sed aliquot tantum plebejo *Lib. 2. c. 33.* *Liv. Lib. 3. c. 30.* *de Repub. Romana*

bejo hoc indutos Tribunatu contendat, qui collegas sibi deinde ad denarium usque cooptarent numerum. Unde

Liv. Lib. 3. cap. 65. Trebonius hanc olim tulit rogationem: *Qui plebem Romanam Tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem Tribunos plebis faceret.* Nec ultra hunc numerum, stante Republica, progressos eos legimus. Quin & ætatis in iis eligendis rationem fuisse habitam, ex A-

Lib. 1. c. 3. lex. ab Alexandro colligere mihi videor, qui Tribunum Plebis eum creatum fuisse negat, cui pater adhuc in vivis erat. Unde Servilii quoque Tribuna-

Lib. 27. c. 23 & Lib. 30. c. 19. tum irritum declarat Livius: *quod Patrem ejus, quem Triumvirum Agrarium occisum a Boiis circa Mutinam esse, opinio per X annos fuerat, vivere, atq; in hostium potestate esse, satis constabat.* Hinc Lipsius octavum & vicesimum annum, huic muneri obeundo legitimum, adsignare haud dubitat. Sed nec, quemlibet omnino cujusque ordinis

ordinis hoc mactari honore, fuit conceſſum. Quippe cautum erat, *ne Patricio*, quantumvis hunc affectanti honorem, *eum gerere liceret*. Sed uti Plebs contra Patricios hunc in ſui tutelam ſibi elegerat magiſtratū; ita & ex infima diu plebe eum creatum, hiſtoriæ monumenta produnt. Etſi in Senatores demum, eosque Plebejos, immo & Equeſtris ordinis homines, Tribunicium hocce munus poſtea derivatum fuiſſe, ex veterum annalibus conſtat. Quin & eo audaciæ nonnullos proceſſiſſe meminit Livius, ut ipſi, ſine ulla plebis electione, hos ſibi arrogarint honores.

Liv. lib. 2. c. 33. & lib. 4. c. 25.

Lib. 3.

§. VI.

In officiis autem Tribunorum Plebis deſcribendis, eo pauciores erimus, quo & majori hac in re eruditi deſudarint opera, & frequentior nobis in poſterum, circa Tribuniciam Cæſarum poteſtatem, eorum occurrat mentio. Sufficiat igitur, pro inſtituti ratione, monuiſſe,

nuisse, non juri dicundo, nec dignoscendis civium querelis eos primum fuisse adhibitos; sed ut plebi, contra insultus alienos, præcipue Patrum, opem imploranti, auxilio essent. Adeo ut populo Romano *instar scuti magis, quam gladii*, eos fuisse judicet Livius: hoc est, magis ad impediendum, quam agendum; ad defendendum potius, quam offendendum constituti. Quo nomine *Præsides & Custodes libertatis*, Ciceroni; *Telum a majoribus libertati paratum*, Sallustio merito audiunt. In hoc enim libertatis studio, plebi strenue vindicandæ, præcipuam eos primitus collocasse operam, nullus non historicorum adserit, ut hac nihil iis prius, nihil fuerit antiquius. Huic tantum sua quoque se litaturum officia, Brutus olim, Tribunatũ ambiens, promisit, fatente id Dionysio Halicarnassensi. Quamvis ultra hanc libertatis custodiam,

Lib. 3. c. 53.

Or. I. contra Rullum.

Fragment. Hist. L. 3.

Lib. 6. Antiq. Rom.

diam, in aliud ſæpe forum, nimia eos deinceps ſequentium traduxerit arrogantia. Cujus rei dicam nunquam non a Senatoribus iis adſcriptam legas. Quorum omnium ſumma, hac lege comprehendebatur: *Plebs, quos pro ſe contra vim, auxilii ergo, decem creaverit, tribuni ejus ſunto: quodque hi prohibuiſſent, quodque hi plebem rogaſſent, ratum eſto: ſanctique ſunto, neve plebem orbã tribunis relinquunto.* *Alex. ab Alex. Genial. Dier. lib. 5. cap. 2.*

§. VII.

Tribunicium vero ita fere implorabatur auxilium: *A VOBIS, TRIBUNI, POSTULO, ut ſi ſententiam meam non ſint ratam habituri Conſules, AUXILIO SITIS.* Cui Tribuni reſpondebant, *AUXILIO SE FUTUROS, VEL NON; INTERCESSUROS SE; MORAM FACTUROS; SE ID NON PASSUROS,* ut variis has loquendi formulas exemplis illuſtrat Briſſonius. Summam quoque Tribunorum auctoritatem ſatis prodit ſollemne *Liv. lib. 28. Lib. 2. de Formulis p. 271. ſeq.*

mne illud *VETO*, quod omnia & Senatus consulta & Plebiscita, & quævis magistratuum acta destruebat. *Bene habet, inquit Sextius*, apud Livium. *Quandoquidem tantum intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebem. Agite dum, Comitia indicite Patres Tribunis militum creandis, faxone juvet vox ista VETO.* Nec ulli unquam contra hanc Tribuni vocem excipere licuit, nisi pœnas vel mulctæ vel carceris incurrere vellet. Idque tanta quidem severitate, ut in Consules ipsos, a Tribunorum sententia alienos, hac ratione sæpe fuerit animadversum. Quod Brutus & Scipio a C. Curatio; Appius a Lectorio; Metellus a Flavio, Tribunis, in vincula conjecti, suo satis confirmant exemplo. *Erant* enim Tribuni *non modo contra vim & ferrum, sed etiam contra verba & interfationem Legibus sacratis armati*, uti refert Cicero. Quin & eo potestatis

Lib. 6. c. 35.

Cicero de Leg. lib. 3. Dionys. Lg. p. 604. Dio Cass. L. 37. p. 58.

Orat. pro Sextio.

tis venêre, ut comitia consu-
lum prætorumve, & aliorum
magistratuum habere, & ne
quid fieret, inhibere, senatum
dissolvere, reliquis tribunis &
quibuscunque magistratibus di-
em dicere, ærarii curam gere-
re, Patricios cogere, mulctam
irrogare, atque Senatus decre-
ta adprobare & improbare pos-
sent: eoque, quod tribuni ple-
bis sanxissent, lege ab Horten-
sio lata, cautum fuit, ut omnes
tenerentur. Huc etiam illud
pertinet, Tribunos, positis pri-
mum ante valvas subselliis,
quum curiã intrare impediren-
tur, accuratissime Senatus con-
sulta examinasse, ut, si qua in
iis improbassent, ea rata esse
non sinerent. Quamvis ipso
quoque Senatu eos prohiberi
non potuisse, censeat P. Ma-
nutius; quum sacrosancti essent,
nullis vel jurgiis, vel verberi-
bus lacessendi. Immo tot etiam
exstent testimonia de Tribunis
in Senatu sententiam dicenti-

Al. ab Alex. Gen. Dier. Lib. 5. c. 2.

de Senatu Rom. c. 10.

bus, quæ liberum, non ad ſubſellia illa tantum, ante valvas poſita, ſed in ipſam omnino curiam, aditum illis aperiant. Hinc *veteribus Senatus conſultis*, inquit Valerius Maximus, T *litera ſubſcribi ſolebat: eaque nota ſignificabatur, ita Tribunos quoque cenſuiſſe.* Ut autem omnibus in ſe adpellantibus præſto ſtatim eſſent, obicem foribus ſuis nec noctu nec interdiu poſuiſſe leguntur, ut domus eorum, *ceu portus quidam eſſet, ac refugium celebre, quo indigentibus ſemper & facilis adpareret aditus.* Quin nec extra urbem pernoctare iis integrum fuit, niſi feriis Latinis, teſte Dionyſio Halicarnaſſenſi.

Lib. 2. c. 2.

Plutarch. Quæſt. Rom. pag. 283.

Lib. 8. Antiq. Rom. p. 531.

§. VIII.

Ex tot vero, quæ breviter adeo enumeravimus, illuſtribus in Rep. Tribunorum officiis, illuſtria deinde in eos redundarunt jura ac privilegia, quibus illi, licet Conſulibus & Prætoribus dignitate inferio-

res,

res, hos tamen aliosque longe superarint Magistratus. Certe jure sanctitatis ceteris in tantum eminuit potestas hæcce, ut lege pariter ac jure jurando omnes huc obstrictos fuisse, nulli sit ignotum. Summam legis hujus, quæ *Sacrata* alioquin dicitur, exhibet Dionysius Halicarnass. Δήμαρχον ἀκόντα, ὥσπερ ἕνα πολλῶν, μηδεὶς μηδὲν ἀναγκαζέτω δρᾶν, μηδὲ μαστιγούτω, μηδὲ ἐπιτατέτω μαστιγοῦν ἑτέρῳ, μηδὲ ἀποκτιννύτω, μηδὲ ἀποκτείνειν κελευέτω. Ἐὰν δέ τις τῶν ἀπηγορευμένων τί ποιήσῃ, ἐξάγιος ἔστω, ἡ τὰ χρήματα αὐτοῦ δήμητρος ἱερά. Καὶ ὁ κτείνας τινὰ τῶν παῦτα εἰργασμένων, φόνου καθαρὸς ἔστω. Tribunos hinc verbis lacessere, uti impium ac capitale; ita lædere vel occidere, infandum erat facinus, gravissimo vix mortis genere expiandum. Quum enim non suam illi, sed universæ plebis, pro cujus libertate ac commodis excubabant, personam agerent; hinc

l. c. lib. 6. p. 395.

sceleris quoque, velut in totam plebem commissi, hujusmodi incusabantur homines. Si tamen Tribunorum quidam aliquid scelesto consilio contra cõmoda plebis gessisset, is tanquam libertatis ac populi hostis potius, quam defensor, meritas luebat pœnas. Adeo ut novem simul Tribunos vivos crematos fuisse dicat Valerius

Lib. 6. c. 3. Maximus, *qui id egerant, ut magistratibus non subrogatis, communis Libertas in dubium vocaretur.* Tali casu autem ei, qui deliquerat, poterat à reliquis Tribunis dies ad populum dici, jussuq; populi aut tribunorũ in carcerem duci, eique tribunatus abrogari, & in exsilium agi, & senatu amoveri. Quam in rem Alexander ab Alexan-

Loc. cit. dro exempla adducit, etiam eorum, qui ob æs alienum non solutum, suffragio populi coërciti fuere, penes quem coërcitio tribunorum fuit. Insigne vero hoc sanctitatis Jus,

ut

ut Tribuniciæ omnino potestatis; ita insolentiæ etiam, quam in alios exercuere, exitium fuit asylum. *Auxilii* enim *Latio*, quam primitus illis tributam vidimus, late adeo temporis progressu serpere cœpit, ut in senatum ipsum quidlibet audendi licentiam arroganter satis sibi sumserint. Vix credas, quanta hæc in dies incrementa ceperit, ex illa apud populum concionandi potestate, quam, altero a prima eorum institutione anno, Tribunis peculiari lege sancivit Icilius. Quo enim non orationis habitu superbiam ac fraudem coram populo tegere? qua item non lingvæ volubilitate, in Consules ipsos ceterosque, flexilem plebem ardenti concitare impetu potuerint? Quin eo denique ventum fuit, ut Senatum ipsum ad concionem non convocandi solum, sed cogendi veniam; in Consules jus necis; immo in Leges ipsas quod-

Onuphr. Panvin. de Civ. R. c. 68.

P. Manut. de Senatu Rom. c. 10.

quoddam quasi arbitrium sibi pepererint. Sic invito senatu legem agrariam, aliquot annis ante secundum Bellum Punicum, tulit C. Flaminius, Tribunus Plebis. Mitto, Tribunos concionantes interpellare, aut silentium iis indicere, imo in via euntibus, intra urbis mœnia, loco non cedere, capitale aliquando fuisse.

§. IX.

Quantumvis autem Tribunis hisce obtigerit potestatis, quam *summam* quidem iis adscribit Sallustius: non desunt tamen, qui eos Magistratuum Rom. numero deturbent. Quos inter Plutarchus, Magistratum eos non fuisse, contendit, quod *purpurati, ut reliqui magistratus, non incederent*; quod *lictores & vocationem non haberent*; quod *pro Tribunali non sederent, juris responsa daturi*; quod *non initio anni magistratum inirent*; quod *creato Dictatore, potestatem hi suam soli non deponerent.* Quibus etiam

de Bello Cat. c. 38.

in Quæst. Rom. p. 283.

etiam ſuum addere calculum videtur Appius Conſul apud Livium, clamitans: *Tribunum eſſe privatum, ſine imperio, ſine magiſtratu.* Ut autem, quod res eſt, dicam, Tribunos ab infima plebe diu creatos, ex ſuperioribus ſatis conſtare arbitror: ideoque licet ſanctitatis, non tamen poteſtatis ab initio ſummæ. Quæ nihilo minus ſenſim adeo crevit, ut ex Senatorio demum ordine eſſent, qui hos ambirent honores. Adpellati enim ſupplicem quemvis judicio liberare, damnatum a vinculis defendere, alios in carcerem pro lubitu detrudere poterant. Ad Senatoriam denique dignitatem expedita adeo per Tribunatum erat via, ut Cicero olim, Senatu motus, per eum in Curiam fuerit regreſſus. Hinc Horatius: *Lib. 2. c. 56.*

Satyra 6.
24.

- - - Quo tibi Tulli
Sumere depoſitum clavum? fierique
Tribunum?

Non igitur eſt, cur purpuram, Lictores, Tribunal, cur magiſtratus denique nomen iis deroget Plutarchus, quum omnia hæcce cum tempore iis ceſſiſſe, hiſtorica nobis fides adferat. Et magiſtratum quidem eos fuiſſe, quis dubitet? Cicero enim non ſemel *magiſtratus, qui auxilii cauſſa conſtitutus eſt*, meminit. Atque iterum alibi: *Exierant*, inquit, *cum Craſſo adoleſcentes, C. Cotta, qui Tribunatum plebis tum petebat, & P. Sulpicius, qui deinceps eum magiſtratum petiturus putabatur.* Pari ratione Salluſtius ait: *Eæ tempeſtate Romæ ſeditionibus Tribuniciis atrociter Reſpublica agitabatur: P. Lucullus & L. Annius Tribuni plebis, reſiſtentibus collegis, continuare magiſtratum nitebantur.* Et ſexcenta ejusmodi alia. Hoc tamen cum diſcrimine, ut Tribunos, non *populi*, ſed *plebis*, magiſtratum fuiſſe, cum eodem Appio apud Livium, dixerim, quum non univerſum

in Orat. pro Quinctio. Lib. I. de Oratore.

de Bello Jugurth. c. 37

l. c.

verſum populum, ſed ejus tantummodo partem, Plebem, repræſentarint. Hinc forte etiam illud eſt, quod non populi, ſed plebis Tribuni ſemper, quoad mihi quidem conſtat, veteribus audiant.

§. X.

Quod veſtem vero ac inſignia attinet, magiſtratui huic præ reliquis propria, non ſimplici ea apud hiſtoricos deſcribuntur ratione. Plebejis quidem viris hisce, quales primi eorum erant, nec purpuram indui licuit, nec reliqua geſtare ornamenta, Senatorio addita faſtigio. Sicut enim ex populi arbitrio, quidquid iis contigit honoris, pendebat; ita nec a populari vivendi ratione, tam in habitu, quam victu, eos procul abiiſſe, ex pænulis illis conjicere mihi videor, *quibus uti Tribuni plebis pluviæ tempore ſolebant, Imperatores autem nunquam. Unde hodieq; Imperatores ſine pænulis a togatis videntur,*

in vita Hadriani c. 3.

dentur, teſte Æl. Spartiano. Quamvis ambitio, ſuperbiæ magiſtra, Patriciique muneris hujus candidati, ſumma illis poſtmodum addiderint & majeſtatis & ſplendoris inſignia. Veſtes autem purpura prætextas eos geſtaſſe, ex illo Ciceronis concludit Ferrarius, ubi in Quinctium, Tribunum Pl. hunc in modum invehitur: *Facite, ut non ſolum mores ejus & arrogantiam, ſed etiam vultum atque amictum, & illam usq; ad talos demiſſam purpuram recordemini.* Non quod in illo reprehendat prætextam ad talos demiſſam, ſed quod hic totus purpura inſignis incederet; cum paullulum alioquin purpuræ ſupra limbum togæ, hæc enim prætexta erat, reliquis Tribunorum ſufficeret. Hac enim *urbanos omnes & municipales magiſtratus uſos fuiſſe*, auctor eſt idem Cicero. Licet hunc iis diripiat habitum Albertus Rubenius, ex interrogatione illa

in Orat. pro Cluentio de re veſtiaria. lib. 2. c. 4.

l. c. de re Veſtiaria lib. 1. c. 8.

illa Tullii contra Vatinium: *Sic enim*, inquit, *ex Te quæro: Tribunus Pl. fuisti? sejunge Te a Consule, Collegas habuisti viros forteis novem, ex his tres erant, quos tamen quotidie dicebas de cœlo servare, quos irridebas, quos privatos esse dicebas, de quibus duos prætextatos sedentes vides, Te ædiliciam prætextam togam, quam frustra confeceras, vendidisse.* Quomodocunque vero fuerit, nobis certe ex Appiano, togam hanc Tribuniciam, æque ac ipsorum corpora, sacram fuisse liquet. Quam ἐσθῆτα τὴν ἱερὰν, cum prætexta illa, quam gestarint, eandem esse autumant eruditi. Pari enim ratione prætextam Proconsulum, *sacram purpuram* mox loco citato appellat Appianus. Inter insignia porro, Tribunis nostris propria, etiam annulorum aureorum usum refert Valerius Maximus. Viatores vero Tribunicios, quos nomen hoc inde sortitos existimat Tullius, *quia Proceres civi-*

Lib. 4. de Bellis Civilibus p. 330.

Lib. 13. c. 12.

de Senect. c. 16.

tatis

tatis ab agris villisque in Senatum arcessierint, heic, utpote ad insignia vix referendos, non moror. Hoc tantummodo vel verbo monuerim, non ex genere servorum eos, sed cives ingenuos libertosque fuisse, qui eadem Tribunis præstiterint officia, ac Lictores Consulibus. Unde Livius: *ardens*, inquit, *ira Tribunus Victorem mittit ad Consulem, Consul Lictorem ad Tribunum.*

Lib. 2. c. 56.

§. XI.

Ex his, quæ hactenus enarravimus, satis, credo, patebit, quam Tribuni hi Plebis Romanæ, cum Ephoris Laconicis oppido conveniant. Certe Tullio persvasum omnino est, *Ephoros Lacedæmone oppositos Regibus, uti apud Romanos Tribuni Consulibus.* Hinc Theopompum quoque primum instituisse memorat Valerius Maximus, *ut Ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri Regiæ potestati oppositi, quemadmodum Romæ Consulum imperio*

de legibus Lib. 3.

Lib. 4. c. 1.

impenio Tribuni Plebis sint objecti.

Quo etiam nomine Regem illum ab uxore culpatum refert Ubbo Emmius, quod, creatis Ephoris, Regium imperium filiis angustius esset relicturus, ac ipse a Parente accepisset. Neque vano id dictum augurio. Etenim magistratus hic, haud aliter ac penes Romanos Tribuni Plebis, modico primũ contentus imperio, & ad communem populi libertatem protegendam constitutus, eo demum arrogantiæ pervenit, ut nec ambitioni, nec potentiæ ejus, in dies crescenti, ullus fuerit modus. Frenum igitur, quo Spartanorum Regum potentiam inhiberent, adeo sibi laxarunt, ut Regibus demum ipsis magistratibusque reliquis hoc violenter injecerint. In sacra quævis nihil non sibi sumebant administrationis; in magistratus omnes animadvertendi Jus sibi arrogabant, & de Republ. denique consultantes,

in descript. Reip. Lacon. nicæ p. m. 289.

Jus

Jus civibus pro arbitrio dicebant. Quæ profecto omnia in Tribunos etiam Rom. Plebis optime quadrare, ex ſuperioribus ſatis pateſcit. Quo enim non potentiæ, ab exiguis admodum illi pervenere initiis, ut non Tribunos amplius, ſed tot omnino Reges eos fuiſſe, quis jure crediderit? ita ſalutis publicæ Patronos, ut ſibi, ſuæq; quam optime iverint conſultum. Plebejus etiam hic Ephororum magiſtratus fuit, æque ac Tribunicius ille, ex tenuioris fortunæ hominibus conſtans. Numero item quinarius erat, in ſingulos annos renovandus, ne diuturnæ nimis eorum inſolentiæ Reges eſſent expoſiti.

CAPUT SECUNDUM
Tribuniciam Cæſarum Rom. Poteſtatem exhibet.

§. I.

HIsce ita præmiſſis, facilius nobis erit ad ea, in quibus cardo diſſertationis

tationis noſtræ vertitur, progredi. Tribunicia enim Cæſarum Poteſtas, quæ jam nobis expendenda reſtat, ſine Tribunatu Plebejo, unde orta fuit, nec probe intelligi nec deſcribi poterit, ut ex ſequentibus pluribus erit manifeſtum. Nobis vero, in anxia vocis *Cæſarum*, quam heic adhibuimus, expoſitione ludere, ſupervacuum videtur. *Cæſarem* enim a *cædendo* dictum, quaſi qui materno exſectus ſit utero, inter tantum non omnes convenit. Nec fortaſſe erit, qui Cæſares a Julio Cæſare nominatos ignoret, ut ab Auguſto Auguſtos, niſi qui in hiſtoria admodum fuerit hoſpes. Hoc etenim nomen, uti omnibus fuit commune, qui ſummi erant Imperantes; ita hoc etiam in ſcriptoribus, tam hujus, quam antiquioris ævi, nihil occurret frequentius. Sequiori tamen, *Dodwelli* & præcipue quidem Hadriani tempore, inter duo hæcce dis-

Diſſ. Cypri-an. append. criminis *n. XL.*

criminis quid fuisse, ut *Augustus* diceretur, qui imperaret; *Cæsar*, qui spem futuræ successionis aleret, ac Tribuniciæ potestatis consors esset, ex Sexto Aurelio Victore haud temere conjecerim, qui *divisa hæc nomina Cæsarum atque Augusti* fuisse ait. Quin & alibi, *Julium Constantium*, inquit, *Galerium Maximianum, cui cognomen armamentario erat, creatos Cæsares in affinitatem vocant.* Cui adpellationi originem dedisse videtur ipse Oct. Augustus, qui, teste Tacito, genitos Agrippa Cajum ac Lucium in familiam Cæsarum induxerat. Unde & filius Tiberii Drusus, *Cæsar* apud eundem dicitur, utut Julius Capitolinus commemoret, quod L. Æ. Verus, qui ab Hadriano adoptatus, primus Cæsar sit dictus: id quod cum illa modò dicta distinctione convenit. Pari modo cum Spartianum, Lampridium, Capitolinum; tum etiam veteres Juris Consultos, hoc

Lib. de Cæsaribus cap. 13.

l. c. c. 39.

Lib. I. Annal. cap. 3.

l. c. cap. 25, 27, 28.

Vita Ver. Imp. c. 2.

hoc usos fuisse vocabulo observat Vossius. Sed & apud Marcellinum eadem hæc distinctio obtinet: *Constantius Augustus*, inquit, *Juliano Cæsari missis literis præcepit, ut intra Cæsaris potestatem se contineret.* Verum uti *Cæsar* antiquitus, dum Julia imprimis familia superstes erat, eundem, ac hodie, obtinuerit sensum, ut summum gloriæ ac majestatis fastigium denotarit: ita pari etiam, qua dudum invaluit, significatione, *Cæsaris* nomen heic velim accipiendum. Ita tamen, ut & Augustos & Cæsares, singillatim ita dictos, vox hæc suo complectatur ambitu.

in Etym. v. Cæsones. Lib. 20. 9.

§. II

Non minorem, opinor, quam Cæsar, majestatem involvit TRIBUNICIA hæc POTESTAS, quum *summi* id *fastigii nomen* sit Corn. Tacito. Quicquid enim unquam apud Romanos fuerit majestatis, quicquid sanctitatis, quicquid

L. III. Annal. c. 56.

denique jurium, ea in uno hoc conjuncta cernas vocabulo. Primus vero, in quem ſumma hæc Poteſtas collata fuit, Julius Cæſar eſt, qui victricia undique circumferens arma, ipſi Senatui non parum terroris incutere cœpit. Ut igitur honoribus eum in ſuas ducerent partes, quem vi non poſſent, decretum fuit; ut quinq; continuis annis Conſulatum gereret; ut Dictator non ad ſemeſtre modo, ut alioquin, ſpatium, ſed in integrum annum ſalutaretur, & ut *Tribuniciam denig; poteſtatem per omnem vitam haberet.* Quæ ampliſſima in Republ munera, futuri n ox imperii fundamenta, cum ipſo Regno, poſt mortẽ Julii Cæſaris, in ſe poſtea, præter Dictaturam, derivari paſſus eſt Octavianus Auguſtus. Ut, pæne dixerim, perinde fuerit, utrum illi, an huic natales hujus Tribuniciæ poteſtatis adſcripſeris, quum alter hanc primum acceperit;

Dio Caſſius Hiſt. Rom. Lib. 42. p. 194.

perit; alter in formam ac ordinem juſte redegerit.

§. III.

Eo autem animo Palladium hoc ſanctitatis in ſe ſuscepit Auguſtus, ut recuſato invidioſiſſimo *Regis* ac *Dictatoris* nomine, quod populus ei pertinaciter offerebat, populari Tribuni titulo animos civium artiori ſibi devinciret vincul o. Hinc Tacitus appoſite omnino hanc in rem: *Id ſummi, inquit, faſtigii vocabulum Auguſtus repperit, ne Regis aut Dictatoris nomen adſumeret, ac tamen adpellatione aliqua cetera imperia præemineret.* Plebis enim tuendæ cauſſa Tribunatum olim inſtitutum comparatumque ſupra vidimus; hinc magiſtratus hujus faſtigium, quippe ubi Populo oppido conſuleretur, ſub novo quodam ſchemate, omnibus lubentibus & volentibus, attigit. Venerabilius item multitudini fuit familiare hoc *Tribuniciæ Poteſtatis* nomen, quod patria con-

Lib. 3. Annal. c. 56.

ſvetudo, per tot annos recepta, iis inſeverat, quam incomparabile AUGUSTI vocabulum, ad cujus novum quaſi ſplendorem obſtupeſcerent. Facilius enim in animos populi illabitur majeſtas, haud ignoto veſtita habitu, quam ſummis exornata honorum titulis. Simulacro igitur hoc Democratico, ut ita dicam, majeſtatem omnem, auctoritatem, imperium, monarchiam denique omnem in ſe traxit, ut merito de eo, quod Poëta de Julio, dixerim:

Omnia Cæſar erat.

Tantum vero abeſt, ut cuncta hæc vi occuparit, ut certis potius quibusdam funiculis, ac neſcio qua arte, omnium adplauſu, quæcunque vellet, ſibi adſumeret. Munia enim magis, quam priſca magiſtratuum vocabula, in ſe transferri maluit, ut expeditum ſibi hoc pacto, vel civibus inſciis, imperium redderet: & populi animum,

mum, firmum illud ſocietatis vinculum, faciliori aucupare-tur negotio. Hinc per omnem vitam illi confirmata Tribuni-cia poteſtas, communibus ſuf-fragiis: quo factum, ut maje-ſtatem illam, inter Conſules antea diviſam, & diluerit, & ipſe ſibi vindicaverit. Non tamen *Tribunum* ſe adpellari paſſus fuit, quum Patriciatus obſtaret, ſed *Tribunicia poteſta-te præditum*. Hanc enim, quan-ta unquam maxima fuit, inſi-gni cum majeſtatis ac jurium incremento, & exercuit ipſe, & ſucceſſoribus exercendam tradidit. Hac item inſtructus, cetera præeminere potuit fa-ſtigia, ut & benevolentiam po-puli, & ſummam ſimul poteſta-tem, ſolide non minus, quam prudenter, ſibi acquiſiverit. Τήν τε γὰρ ἐξουσίαν, verba ſunt Dionis, καὶ τὴν τιμὴν ἢ ὑπὲρ τὰς δικπάτωρας ἔχων, ὀρθῶς τό, τε ἐ-πίφθονον ἢ τὸ μισητὸν τῆς ἀπικλή-σεως αὐτῶν ἐφυλάξατο. Hanc

Hiſt. Rom. Lib. 54. p. 354.

denique, cum nulli Imperantium postea esset emolumento, firmiter adeo sartam tectamq; habuerunt successores Augusti, sive id ominis, sive exempli caussa factum; ut Tiberius *literas ad Senatum miserit, queis potestatem Tribuniciam Druso petebat*, teste C. Tacito.

Lib. 3. annal. c. 56.

§. IV.

Fuit igitur hoc εὕρημα Augusti, ut absolutum imperandi modum Tribunicia dissimularet potestate. Sed & lubentius hanc illi decreverunt Senatus Populusque Romanus, quo facilius ad priorem, quo gaudebat, Triumviratum ultro deponendum, novo hoc invitaretur honore. Duo enim hæc munia in uno conjungi non potuisse, antiquis legibus cautum fuit. Accedebat & hoc, quod, vel invitis ipsis, pro suo arbitrio, hanc potestatem obtinere potuerit, cui summum alioquin statuendi agendique jus competiit. Idcirco utrinque hono-

honoribus & officiis certatum eſt. Auguſto quidem erant & ſimulacra & delinimenta, ad pelliciendos Civium animos comparata. Milites enim donis; populum annona; Nobiles honoribus opibusque; cunctos denique dulcedine pacis pellexit. Adeo ut omnibus omnino nihil novo hoc ſtatu jucundius, nihil fuerit optabilius; quum heic demum, alto iis otio, egregiis Auguſti conſiliis cuſtodito, poſt tot clades, tot miſerias, frui liceret. Hinc cives etiam, moleſtiarum pertæſi, promtis obſequiis ſtudium ſuum novo Principi approbaturi, facili ac prona, ut ita dixerim, cervice, novi imperii jugum excipiebant. Parum ſolliciti, an Auguſto res in immenſum creſceret, modo ſuo illis abundare daretur otio: præſertim, quum non ſine multiplici & vitæ & ſalutis diſpendio, tanto quidem obniterentur capiti.

Tacitus Annal. Lib. 1. c. 2.

§. V.

Sub hac, uti dictum, libertatis umbra, ſuam tegere potentiam, callide omnino novit Auguſtus. Antiqui enim ſtatus imagine, recentis imperii invidiam, & declinavit melius, & regnum, quod quærebat, fortius ſibi confirmavit. Probe gnarus, ea fuiſſe ingenia, eosque mores Romanorum, ut *nec totam ſervitutem pati poſſent, nec totam libertatem.* Hinc Domitianus erroris ac imprudentiæ arguitur a Plinio, quod *liberæ civitati ne ſimulationem quidem ſervarit.* Sic Alexander M. Perſicum in Macedonas imperandi modum, hoc eſt, ſeverum ac abſolutum, molitus, a ſuis recte admonebatur, aliter obſequioſa Perſarum ingenia, aliter erectos Macedonum ſpiritus, *majore libertatis umbra adſvetos*, tractari debere. Tribuniciam igitur poteſtatem hanc, communibus Senatus pariter, ac Populi ſuffragiis in ſe collatam,

Tacit. Hiſt. Lib. 1. c. 16.

in Panegyrico, c. 63.

Curt. lib. I. c. 7. n. 31.

collatam, ſuscepit Auguſtus. Non quod vi eam ſibi, vel iis invitis, extorquere haud potuerit; ſed quod antiquis ita ſe ſubjiciendo legibus, arbitrioque populi, cives ſuo quaſi juri ac priſtinæ libertati redditurus videretur. Hinc facilius quoque votorum factus eſt compos, idque eximia quidem ſua cum laude, & ſumma populi gratia. Quare paucis ante obitum annis eandem rurſus poteſtatem Tiberio, quem ſibi in ſucceſſorem imperii coptaverat, a *Patribus* petiit, teſte Tacito. Et Tiberius iterum hanc, literis *ad Senatum* miſſis, Druſo erogavit. Alexander item Severus illam, *deferente Senatu* cum reliquis honorum titulis uno die adſumſit, tradente Æl. Lampridio. Proinde Heliogabalus, ſi non ſuperbiæ, certe imprudentiæ argumentum Populo Romano dedit, quod Senatus Conſulto non exſpectato, literis ad Patres

Lib. I. Ann. cap. 10.

l. cit.

Lib. 3. c. 56.

in vita Alexand. Severi. c. 1.

tres Populumque datis, & Imperatorem se & Cæsarem Pium, Felicem, Augustum, & ProConsulem Tribuniciæ potestatis adpellari jusserit, majestatem non dum sibi decretam, prior occupans.

§. VI.

Neque vero potestatem hanc, sibi tantum solis exercendam, servavere summi Imperatores; sed alios etiam, quos futuræ potissimum in imperio successioni destinarent, hujus consortes reddidere. Ita tamen, ut summum sibi in ea auctoritatis, summnm dignitatis semper retinuerint, ceteris modo titulum sine re concedentes. Sic Octav. Augustus M. Agrippam in hujus potestatis consorrionem delegit; quo deinde defuncto, Tiberium Neronem sibi adscivit, *ne successor in incerto foret.* Atque hoc est, quod in ejus vita Svetonius scribit, *eum in Tribunicia potestate, semel atque iterum, per singula lustra, collegam sibi cooptasse.*

Cap. 7.

cooptasse. Ad cujus deinde exemplum Tiberius quoque Druſo hanc, uti jam dixi, a Senatu expetiit poteſtatem. Sejanum enim, cui antea hanc delegaverat provinciam, vana ſuccedendi ſpe, quam tamen ille certiſſime ſibi perſvaſerat, decepit. Quod nullus, opinor, Cæſari vitio verterit, quum Imperatores illum omnino, quem in conſortium poteſtatis hujus ſibi adſumſerant, pro arbitrio & retinere, & officio dimittere potuerint. Sicut & iis inſciis nihil omnino Collegas hosce auſos fuiſſe, nihil quoque jurium, poteſtatis nihil exercuiſſe, facile crediderim. Nec aliud quid, ni fallor, horum inſtitutione ſibi voluêre Principes, quam ut hac ratione Juvenes, imperio ſenſim adſvefacti, fortioribus demum aptioribusque humeris totum deinde Imperii pondus in ſe ſuſciperent. Avium fere hac in re imitati naturam, quæ dum ter-

ram

ram demiſſiori volatu ſæpius raſerint, mox altius evolant, nubes ipſas improbo petituræ conatu. Sic hos etiam Principes Juventutis & Tribuniciæ poteſtatis conſortes, dum fecit, eo nomine, velut rudimenta majorum aliquando in Rep. munerum, eſſe voluit Auguſtus, voluere quoque ceteri; quo Principalis hæc ſuboles, non dum certa deſignatione ad ſucceſſionem evecta, ſpei tamen hujus capax, in ſummo interea honoris & faſtigii culmine ſplendeſceret. Alios majeſtatis hujus Tribuniciæ ſocios ſciens prætereo, ubivis fere in hiſtoria obvios. Fl. Veſpaſianum tantummodo addidiſſe ero contentus, qui cum Tito hanc communicaverat; quem deinde plurimas Senatui gratias egiſſe, memoriæ prodit Capitolinus, quod *Patri Hadriano, & in imperio ProConſulari, & in Tribuniciæ poteſtate, factus eſſet Collega.* Plura hanc in rem cumu-

in Antonino Pio c. 4.

cumulare, imperata nos prohibet brevitas.

§. VII.

De ætate muneri huic legitima, nec omnes conveniunt, nec certi quid traditum accepimus. Ideoque ſua quemque opinione abundare permittentes, ex Dodwello ſtrictim notamus, annum ætatis octavum & viceſimum hisce, æque ac Tribunis plebis, ut ſupra obſervatum, idoneum legitimumque fuiſſe; modo Imperatoribus, abs quorum nutu pendebant, ita eſſet viſum. Neque vero immaturæ ætati tantum quidem munus par exiſtimaverim, ut pueris omnino id datum fuiſſe urgeam. Quin potius perſvaſus ſim, non tam ætatis, quam fortitudinis potius, rationem heic fuiſſe habitam; quare & induſtria ac virtute, quæ non cujuslibet eſt ætatis, hoc ſe honore dignos probarent. Hos vero, qui Tribunicia adeo mactabantur poteſtate,

Prælect. Camden. 19. n. 6.

teſtate, *Caſares*, ſequiori imprimis ætate, adpellatos eſſe, diverſo ab *Auguſtis* titulo, antea monuimus. Vocabantur etiam *Principes Juventutis*, inſigni ſucceſſionis, quam ſperabant, elogio. Antequam autem Imperatorum filii *Cæſares* fierent, ſive Tribunicia poteſtate prædíti, dicebantur *Nobiliſſimi Pueri*, & deinde *NOBILISSIMI CÆSARES*: quem deinde titulum, eos, cum jam Imperatores eſſent, retinuiſſe putat Onuphrius Panvinius. Hinc vocē mutuati ſunt Græci Νωβελλίσιμον, apud Zonaram, Zoſimum, aliosque frequentiſſimam. Et Zoſimus quidem ait: Δαλμάτιος, Καίσαρ ὑπὸ Κωνσταντίνου καταστάθείς. Ἐπὶ δὲ Κωνσταντίνου ἀδελφὸς ὢν αὐτὸς, ὁ Ἀναβαλλιανὸς, ἐθῆπι χρώμενοι κοκκοβαφεῖ ὁ ϖειχρύσῳ, τῆς τὸ λεγομένης νωβελλισίμας παρ' αὐτῷ Κωνσταντίνου τυχόντες ἀξίας, αἰδοῖ τῆς συγγενείας. Excogitati deinceps alii honorum tituli, ut

in Faſt. ad ann. U. C. MDXVI.

Hiſt. Lib. 2. p. 691.

proxi-

proximus ab Imperatore Δεσπότης, *Dominus* diceretur; dehinc Σεβαστοκράτωρ, & id genus alia, quæ a Meurſio improbe congeſta, diſcere poteris. *in Gloſſario Græco Barbaro.*

§. VIII.

Vel ex paucis his, quæ de Tribunicia poteſtate diximus, hanc a Tribunatu Plebejo in aliis fuiſſe diverſam, in aliis rurſus cum illo eandem, facile conſtare arbitror. Alter enim, plebejus magiſtratus, tantum abeſt, ut in Patricios initio derivaretur, ut Dolabella & Clodius, hunc ambientes honorem, ejurata demum nobilitate, Tribuni Plebis fierent. Alter vero, Imperatorius ille Tribunatus, nonniſi Patriciorum erat, quippe unde Cæſares omnino creari oportuit. Porro Tribuni Plebis illi olim erant, qui a Plebe, uti ſæpius dictum, ad libertatem ſibi contra Patres aliosque vindicandam fuerant electi: Imperatoribus autem nomen hoc, licet

licet non ipſa eorum poteſtas, ſordebat. Conſulibus præterea ac Prætoribus Tribuni cenſebantur inferiores; Tribunicia vero poteſtas omnia præeminuit imperia. Tribunatum adhæc aliis conjunctum muneribus, ſive Conſulari, ſive Dictatorio, gerere, legibus erat prohibitum, ne vi ac inſolentia in alios nimis inſurgerent magiſtratus; heic autem & Imperatorium & ProConſulare & Tribuniciũ ſociata cernas faſtigia. Tribuno inſuper in veteri Republica, vel una quidem nocte, extra urbem pernoctare integrum non fuit: hisce autẽ Noſtris, quocunque Reipublicæ cauſſa vellent, proficiſci licuit. Nec Tribunus ille antiquis erat, cui Pater adhuc ſuperſtes, multo minus; quem Populus communibus non elegerit ſuffragiis: Imperatorum vero filii ab ipſis Parentibus in Tribunicios hosce adoptabantur honores, non ad Plebis Senatusve

Senatusve, ſed ſolum Imperantis arbitrium. Taceo Tribunatum Plebejum, annuo quovis renovandum termino; quum Tribunicia tamen poteſtas, utpote perpetua, nulli fere neque periodo, neque viciſſitudini fuerit obnoxia. Neque illam Tribunorum Plebis potentiam tango, mœnibus tantummodo urbis, vel, ſi extra ea, non integris omnino provinciis, ut exiſtimat Morery; ſed mille ad ſummum paſſibus, circumſcriptam: quum Tribuniciam Cæſarum poteſtatem, per Rom. imperium, immo per totum fere orbem validam, implorare licuerit. Hinc Tiberius quoque Rhodi commoratus, *Jus Tribuniciæ poteſtatis exercuit.* Hinc etiam, ni valde fallor, Apoſtolus Paulus, criminis a Judæis falſo incuſatus, ad Neronem Imperatorem, ejusque Tribuniciam poteſtatem, tanquam certiſſimum innocentiæ aſylum, a Feſto provocavit.

Le Grand Dictionaire Hiſtorique.

Suet. in vita Tib. c. 11.

Act. 25: 11.

§. IX.

§. IX.

Ad illam insuper utriusq; hujus Tribunatus, tam Plebeji, quam Cæsarei, differentiam probandam, erit fortasse, qui etiam hoc adtulerit; quod sub ipsa Tribunicia Cæsarum Potestate, nec ipsi Tribuni Plebis cessaverint, nec muneribus abierint. Ut distincta omnino hæc munia fuisse, vix possit negari. Quod per varios temporum annales eundo, Tribunorum item nomina ad suos redigendo annos, passim demonstravit Pighius. Accedit & hoc, tot occurrere intercessionum Tribuniciarum exempla, in scriptoribus minime subolestæ fidei. Sic Vulcatius Tertullinus, Tribunus plebis, intercessit apud Tacitum, *ne quid Principe absente statueretur*. Haterii etiam Agrippæ intercessionem valuisse, idem memorat Annalium scriptor. Ut proinde doctissimo Is. Vossio haud

Ann. Rom. Tom. 3, p. 544. seq.

Hist. Lib. 4, 9.

Lib. 1, c. 77.

in observ. variis c. 6.

nullos

nullos Tribunos, præterquam ipſos Cæſares, agnoſcenti. Verum enimvero, prout populo Romano ſua ſenſim ſubtrahebatur auctoritas; ita & Tribunis nihil, præter nomen ac inſignia, nuda tantum libertatis ſimulacra, a Cæſaribus fuit relictum. Quodque olim pro arbitrio & vetare & intercedere illi poterant, id quidem Cæſarum tempore iis nec integrum fuit, nec ſalutare. Unde Aruleni, Tribuni Plebis, interceſſio, *vana & non profutura*, immo *interceſſori exitioſa* dicitur Tacito. Sic Romani nubem, uti ajunt, pro Junone, hoc eſt, priſtinam hac ratione libertatem recuperaturi, unius ſe mancipárunt ſervitio. Tribunatus enim Plebejus nihil aliud tunc temporis erat, quam *inanis quædam umbra, & ſine honore nomen*, judice Plinio. Nec ultra Conſtantini M. tempora, hanc dignitatem extendit Onuphrius, quum nulla deinde in hi-

Annal. Lib. 16, 26.

Lib. 1. Epiſt. 23.

comment. in Lib. 1. Faſt.

ſtoriis certa ejus occurrant veſtigia. Conſtantinus enim poteſtatem hanc, quam per XXX omnino annos exercuerat, cum ſuo ipſius nomine Conſtantinopolin transvexit, ac honorifice ibi, ut ita dicam, tumulo intulit. Idque eo felicius, quo *recentiorem Reipublicæ formam, multis additis novis, aut veteribus ſublatis magiſtratibus, conſtituerit.* Hinc Dodwellus etiam Tribunicias Cæſarum poteſtates, tempore hoc inferiores, teſtimoniisque idoneis deſtitutas, merito in dubium revocat.

l. c. n. 15.

§. X.

Sed nec utrumque hunc magiſtratum diverſum adeo inter ſe fuiſſe, pertinaciter contendero, quin ſumma etiam in quam plurimis ſeſe offerat utriusque convenientia. Certe, ſi Tribuniciam Poteſtatem penitius introſpexeris, nihil ea, niſi antiqui Tribunatus Plebis officia, jura, ſanctitatem ſpirat.

Ut

Ut Dodwellum merito heic deserendum existimem, qui *parum eos explicare* dicat, *qui Tribuniciæ Potestatis jura per vulgarium Tribunorum Plebejorum jura explicent.* Id enim mihi quam maxime persvasum habeo, Cæsares jura pristini hujus fastigii, maximo sui cum emolumento, licet alio quidem colore, in suam transfudisse potestatem. Quod vel ex auxilio illo Tribunicio, de quo antea vidimus, satis constiterit. Hoc enim ad *Plebem tuendam*, & libertatem populo vindicandam, institutum fuit, & hoc etiam nomine Augusto susceptum. Licet id sub ea quidem specie factum innuat Dio, male eam ob rem à Josepho Castalione refutatus, *ut se potius ipsum, imperiumque, & melius confirmaret & defenderet.* *l. c. n. 7.* *Lib. 53. in explic. Obelisci Augusti.*

§. XI.

Intercessionem Tribunorum loquar? quam maximo Imperatoriæ huic dignitati incre-

mento fuiſſe, nullus non facile viderit. Ex ſuperioribus enim patet, hanc in primis prærogativam Tribunis fuiſſe additam, ut Senatus conſultis, quacunque vellent ſpecie, impune intercederent. Quod Senatores etiam, quantumvis inviti, paratiſſimo ſemper excíperent obſequio. Adeo ut intercedere iis licuerit, hoc eſt, irritum declarare, quodcunque antea a Patribus, tot curis, tot moleſtiis fuerit deliberatum. Atque hæc profecto illa Penelope eſt, quam tot deinde ambierunt Imperatores. Quam etiam deinceps illis pleno omnino jure ceſſiſſe, præter alios quam plurimos, auctor eſt Tacitus, qui Scaurum quendam, dum Tiberius imperium, omnium & precibus & votis ſibi oblatum, conſtanter recuſaret, dicentem infert: *Spem eſſe ex eo, non irritas fore Senatus preces, quod relationi Conſulum jure Tribuniciæ Poteſtatis non inter-*

Annal lib. 1. c. 13.

ceſſe-

ceſſiſſet. Sic Antiſtium quoque, nonniſi Tribunicia Principis interceſſione, morti eximendum, alibi judicat. Quo ſpecioſo admodum titulo omnia Senatus Populique decreta intercedendo vetare, nullo contradicente, Cæſares poterant. *Hic* enim, inquit Dio, *effecit, ut iis, quæ ab aliis contra ipſorum ſententiam moverentur, intercedere potuerint.* *Ib. lib. 14. c. 48.* *l. c. p. 508.*

§. XII.

Ex hac intercedendi poteſtate, prono etiam alveo fluit illud Cæſarum, adverſus aliorum interpellationes contradictionesque, Præſidium. Non enim aliorum decreta modo, quæ ſibi minus placebant, reſcindere ac irrita declarare poterant; ſed & contra interpellationes quaslibet, & aliorum in ſe interceſſionem, legibus pariter ac communi populorum conſenſu erant armati. Tribunis Plebis eadem contigiſſe jura, ſupra ex Cicerone obſervavimus; quin & peculiari

quadam lege id cautum fuisse, in Dionysio Halicarnass. deprehendimus: Δημάρχου γνώμην ἀγορεύοντος ἐν δήμῳ μηδεὶς λεγέτω μηδὲν ἐναντίον, μηδὲ μεσολαβείτω τὸν λόγον. Ἐάν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, δίδοτω τοῖς δημάρχοις ἐγγυητὰς αἰτηθεὶς εἰς ἔκτισιν, ἧς ἂν αὐτῷ δοκῇ ζημίας. Ὁ δὲ μὴ διδοὺς ἐγγυητὴν, θανάτῳ ζημιούσθω, ϛ τὰ χρήματα αὐτοῦ ἱερὰ ἔστω. τῶν ἀμφισβητούντων πρὸς ταύτας τὰς ζημίας αἱ κρίσεις ἔστωσαν ἀπὸ ϛ δήμου. *Ant. Rom. Lib. 7. p. 415.* Cæsaribus quoque idem fuisse auctoritatis, absoluta eorum potestas, cum pari majestate conjuncta, satis & loquitur & comprobat. Ut viam hac ratione Monarchiæ eos feliciſſime sibi paraviſſe, nullus non perspexerit.

§. XIII.

Quæ cum ita se habeant, non possum non mirari Norisium, qui Tribuniciam Potestatem nihil aliud involvere adserit, quam nudam quandam Cæsarum immunitatem, ac inter-

Pagi in Crit. Bar. ad A. C. 147. n. 9.

ce-

cedendi licentiam, omni destitutam imperio. Quum diuturna tamen immunitas & sanctitas imperium sibi demum necessario pariat. Ubi enim quot verba, tot mandata audias, quæ ab omnibus omnino, instar oraculi, religiosissime sunt observanda; ibi imperandi studium, licet sub alio quidem nomine, necesse est se exserat. Nec Augustus, opinor, hac dignitate cetera præeminuisset imperia, ut supra ex Tacito vidimus, si potestatem quidem, sed sine ullo imperio, exercuisset. Hinc Dionysius non temere eum, æque ac Tiberium, qui tunc socius Augusti erat, Regio salutat titulo:

Ῥώμην πιμήσασαν, ἐμῶν μέγαν οἶ κον Ἀνάκτων.

περιηγ. v. 355.

Omitto intercedendi jus, nec sine imperio peragendum. Et si alia heic nobis deessent imperii rudimenta, certe vel Jus convocandi & Populi & Senatus, quod Cæsaribus erat, evi-

denti id probat documento. Hoc enim cum Tribunis commune habuit Tiberius, qui, ut videretur omnia, ad priſtinum Reipub. morem, agere, *ne edictum quidem, quo Patres in Curiam vocabat, niſi Tribuniciæ Poteſtatis præſcriptione poſuit, ſub Auguſto acceptæ.* Unde Svetonius *eum jure Tribuniciæ Poteſtatis cöegiſſe Senatum*, ait.

Tacitus Annal. Lib. 1. c. 7.

in vita Tiberii 2, 31.

§. XIV.

Omnia autem hæc & reliqua etiam jura, quæ ſibi minimo ſæpe jure arrogabant hi Noſtri, ſumma munierunt ſanctitate. Hac etenim, velut clypeo quodam, armati, non ſine maximo quidem piaculo, vel verbis erant impetendi. Sub hac inſuper, ſummam poteſtatem ſibi vindicare poterant, quippe omnibus omnino, quodcunque demum aggrederentur, inviolabiles. Plebejis hanc olim, ſuo quaſi jure, obtigiſſe ſupra monuimus; addimus jam Imperatorios illos, ut ita dicam,

eam, Tribunos, hanc præ ceteris & adfectaſſe, & ſimul, ſummo ſui cum emolumento, obtinuiſſe. Neque enim illi ad tantum usquam ſine hac evecti fuiſſent faſtigium, nec ſine hac denique in libertatem Reipublicæ impune adeo graſſari potuiſſent. Sic divinitatem pariter ac ſanctitatem Regibus ſuis ſuperſtitioſa olim adtribuit vetuſtas, ut & cives ad juſſa tantorum ſcilicet numinum paratiores, & ipſi adverſus omnem vim hac eſſent ſecuriores. Hinc tot etiam Heroas à Jove natos, tot a reliquis Diis oriundos, legas, quot

Denſa per herboſos volitant examina campos.

Quin etiam Noſtri Imperatores, Tribunicia hac poteſtate præditi, *ſacroſancti adeo fuerunt*, inquit Dio Caſſius, *ut ſi vel minimo, non dicam facto, ſed verbo, ſe ab aliquo læſos, exiſtimarint, eum, indicta cauſſa, tanquam qui ſe piaculo obſtrinxerit, necare* L. e.

qui-

quiverint. Hinc Octavio Augusto decretum fuisse accepimus, *ut neque verbo eum quisquam, nec re læderet: qui læsisset, obnoxius ei pœnæ esset, quæ Tribunum Plebis violanti sit dicta.* Quibus, quum evidentissima sint, nihil fere, quod addamus, suppetit. Hoc solum addiderim, Tribuniciam potestatem, ex hac, qua pollebat, sanctitatis lege, *partem maximam Regalis imperii* Vopisco merito adpellari.

Ib. Lib 49. p. 402.

in vita Taciti. c. 1.

§. XV.

Diutius nos detinuit consideratio discrepantiæ pariter ac convenientiæ utriusque hujus magistratus. In reliquis jam, quæ hujus fori esse videantur, licebit nobis esse brevioribus. Maxima quidem Tribuniciæ potestati jura fuisse vidimus, sed non ultra suos tamen producenda cancellos. Proinde non a nostro instituto alienum fuerit, paucis evolvere, utrum hæc cum ProConsulatu eadem,

an

an ab illo ſit diverſa. Certe ignorantiam ſuam, hac in re, utpote quam maxime dubia, doctiſſimam profitentur & Caſaubonus & Scaliger. Quorum alter ſummum ProConſulatus ſilentium; alter, ſi qua in nummis ejus occurrant teſtimonia, cauſſam admiratur. Dodwellus vero accuratiorem ſibi hac in re notitiam pollicitus, omnia Imperatorum munia ſub Tribuniciæ poteſtatis titulo complexus, latiores huic limites conſtituit. Quam in rem Dionem adfert, ſuæ, uti opinatur, ſententiæ patronum, qui Senatum Auguſto decreviſſe ait, *ut Tribunus Plebis perpetuus eſſet, & ProConſulare imperium ſemper haberet, neque id intra pomœrium veniens deponeret, aut renovare neceſſe haberet, utque major ipſi in Provinciis, quam Præfectis earum, ſemper eſſet poteſtas.* Silentium præterea ProConſulatus in numis, ubi tamen & Tribuniciæ poteſtatis & reliqua Impera-

Not. ad Capitol. Ant. Pium c. 4. Epiſt. 66. Prælect. ad Spartiani Hadrianum.

Lib. 53. p. 518.

ratorii faſtigii ornamenta occurrant, in partes ſuas vocat; quippe unde conſtet, eadem, vel certe non admodum aliena, hæc fuiſſe munera. Jus denique jubendi ſtatuendique extra pomœria urbis, non ex ProConſulari, uti vulgo dicitur, ſed Tribunicia magis Poteſtate Imperatoribus competiiſſe adſerit, ut minor illa, hac utpote illuſtriori, quaſi tecta fuerit & quodammodo obliterata.

§. XVI.

Hiſce autem adlatis, quod pace tanti viri dixerim, quin noſtrum etiam addamus calculum, non pauca obſtare videntur. Dio quidem illuſtria Auguſti nomina publicis ſuffragiis amplificata tantum, & διὰ βίε, *per omnem vitam*, ei decreta, non vero ad unam Tribunicia am Poteſtatem relata, memorat. Quin potius diſtincta fuiſſe munia ex Tacito colligere mihi videor, qui Neroni cum

L. c.

Annal. lib. 12. c. 41.

Toga

Toga virili *ProConſulare imperium* ceſſiſſe prodit. Sic Alexander Severus *Jus ProConſu-lare & Tribuniciam Poteſtatem uno die adſumſit.* Nec pertinax adeo eſt de ProConſulatu ſilentium in numis lapidibusque, quin exemplis à Spanhemio collectis, etiam hæc ex Smetii Inſcriptionum antiquarum libro addi poſſint: IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS. SEVERUS. PIUS. PERTINAX. ARABICUS. ADIABONICUS. PARTHICUS. MAXIMUS. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. Nec non IMP. CÆS. LUCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI. AUG. TRIBUNIC. POTEST. XI. IMP. XI. COS. III. PROCOS. & IMP. CÆS. M. AURELIO. L. FIL. ANTONINO AUG. PIO. FELICI. TRIBUNIC. POTEST. VI. PROCOS. P. P. Cur vero Imperatoriis titulis non ſemper etiam ProConſularis hic ac-

Lampridius in ejus vita, cap. 1.

de præſt. & uſu Numiſ. Diſſ. 8. p. 711 Fol. V. b.

Fol. X. b.

acceſſerit, in cauſſa fortaſſe fuerit, quod ordinarie tantum extra urbem valeret: *Imperatores* enim, *quoties extra pomœrium ſunt, ProConſules dicuntur*, teſte Dione Caſſio. Hinc Auguſto Jus ProConſulare datum accepimus, ut orbem Romanum, qui in duas alioquin diviſus erat Provincias, Cæſaris & Populi, æquo extra urbem adminiſtraret imperio. Quin & infra ceteras omnino dignitates ProConſularis poteſtas habita fuit, ut a potioribus officiis Imperatores denominatos jure quis judicet. Quare & ultimum ſemper in inſcriptionibus locum huic adſignari videas. Accedit denique & hoc, quod Imperatorii nominis ſplendor, reliquos honorum titulos & illuſtrarit quam maxime, & ſimul in ſe continuerit: Adeo ut, cum Imperatorem nomines, omnia ſimul decora, in ſummum hoc faſtigium cumulata, dicas. Eo tamen

Lib. 53. p. 507.

cum

tum discrimine, ut nomen hoc, ubi præponitur, imperium ProConsulare & summam potentiam significet; ubi postponitur, victorias respiciat. Hinc in aliis quidem numis cernas T. CAESAR. IMP. VESP. in aliis iterum: IMPERATOR. T. CAESAR. AUGUS. Plura vero hanc in rem pleno, uti dicitur, modio congesta videas apud laudatos Spanhemium, & Pagi, quæ heic quidem nobis, ad alia festinantibus, persequi nec licet nec libet. L. 6.

§. XVII.

Tribunis Plebis jam officia, Jura, sanctitatem denique à Cæsaribus erepta vidimus. Restat ut paucis indicemus, num prætexta ac insignia, quæ illi ab antiquo obtinebant, horum quoque cesserint potestati. Vestem quod adtinet, illustriorem ac tantum non triumphalem Nostros habuisse, passim meminit Tacitus; utpote

quibus jus togæ pictæ fuit. Diadema vero ac Paludamentum auro coruscans, summi fastigii insignia, nulli gestare licuit, nisi qui Imperatoria eminebat dignitate. Hinc Imperator Commodus Clodio Albino, in Tribuniciam potestatem adoptato, scribit: *Sane ut Tibi insigne aliquod Imperialis Majestatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præsente, & ad me, & quum mecum fueris, habiturus & purpuram, sed sine auro: quia ita & proavus meus Verus, qui puer vita functus est, ab Adriano qui eum adoptavit, accepit.* Tribunicii præterea subsellii honor inter insignia Imperatoria haud infimum obtinebat locum. Chimentellius subsellia ista minoris primitus formæ fuisse existimat, cum ipsa deinceps Tribunorum amplitudine ampliora: *adeo ut in illis non exiguum honoris resideret, immo fulgur majestatis & gloriæ ornamentum; quum ibi*

Capitolin. in vita Clodii Albini. c. 2.

de honore Bisellii c. 21. seq.

Roma-

Romanus Princeps publice incubare non dedignaretur. In ejusmodi subsellio Tiberium inter Consules medium in curia sedisse commemorat Svetonius. Nec parum honoris illi infuit, cum Populus communis favoris documentum J. Cæsari daturus, Jus in subselliis istis sedendi, quum digniori loco eum collocare non posset, honorifice ei decreverit. Qui proinde in Curuli sella semper sedebat, præterquam in ludis, ubi Tribuniciam ei, utpote illustriorem, oblatam fuisse ex Dione cognoscimus. Subselliis denique hisce, ut proximi semper adstabant Viatores, Tribunorum ministri; ita & proximum heic locum iis concedimus. De quibus id tantum dixisse sufficiat, Tiberium Neronem, dum Jus Tribuniciæ Potestatis exerceret, cum *apparitoribus Tribunicis*, qui viatores ejusmodi erant, in publicum prodiisse.

in ejus vit. c. 23.

Sveton. l. c.

§. XVIII.

Sed & utrum ſtata fuerint huic poteſtati tempora, quibus renovanda erat, an perpetua ſemper Cæſaribus manſerit, merito quis dubitet. Tribunos Pl. quidem certo cujusvis anni tempore magiſtratum iniiſſe prodit Appianus: Δημάρχους, inquit, ἐποιήσατε ἀνὰ ἔτος ἕκαστον, οὓς ἐβούλεσθε Idque non initio anni, uti reliqui Magiſtratus, ſed ad quartum omnino Idus Decembres, quippe quod ſua etiam ætate obſervatum contendit Dionyſius Halicarnaſſ. Hinc igitur eſt, quod Livius dicat: *Nevius hic magiſtratum non iniit Tribunatus Plebis D. Claudio, L. Porcio Conſulibus, ſed iniit Tribunatum Appio Claudio, M. Sempronio Coſſ. ad quartum Idus Decembres.* Cicero autem nonas Decembres legitimum, quo Tribunatum inirent, tempus, ſua quidem ætate conſtituens, *P. Sulpicius*, inquit, *judex triſtis & integer magiſtratum ineat*

de Bello Civ. Lib. 4.

Ant. Rom. Lib. 7.

Lib. 9.

in Orat. 2. in Verrem.

ineat necesse nonis Decembris. Quicquid fuerit, non facile urgeam, Cæsares Rom. eadem, atque hi, observasse temporum intervalla. Perpetua enim illis, quoad viverent, erat Tribunicia Potestas; licet, ut nonnullis videtur, per quinquennia ac decennia interdum, ludis festisque, hanc ob caussam institutis, de novo quasi suscipienda. Quamvis non desint, qui ludos illos in memoriam imperii potius Cæsaribus collati, quam Tribuniciæ Potestatis, celebratos fuisse, haud incongrue adfirment.

§. XIX.

Verum enimvero Cæsares cum Tribunis eadem quotannis observasse muneris renovandi tempora, Toinardus apud Ant. Pagium satis sibi persvadet, ita tamen, ut ab ea anni parte, in quam initium susceptι hujus fastigii caderet, ad quartum Idus Decembres, primum numeraverint annum; *in Crit. Baron. ad A. C. 103. n. 5.*

more deinceps Tribunis ſolle-
mni computantes. Ejusdem
Ann. Rom. etiam ſententiæ Pighium eſſe,
Tom. 3. vel ex his patet: *Quia Impera-*
p. 514. *tores quotannis Tribuniciam Pote-*
ſtatem cum Tribunis Plebis ejus
anni renovarunt; annorum im-
perii Cæſarum poſtea hinc ſumma
concipi ſolet; velut ex Tabulis Ca-
pitolinis, numis, veterumque mo-
numentis manifeſtum eſt. Qua ve-
ro ratione Poteſtas, quæ per-
petua eſt, quotannis tamen ſit
renovanda, & publico ſimul
decreto proroganda, non qui-
dem liquet: præcipue quum
nunquam eos hoc ſe munere
ſponte abdicaſſe reperias. Ne-
que ad captandum Populi fa-
vorem ludicram hanc magiſtra-
tus ineundi rationem excogi-
tatam putes, quum Cæſares non
Tribuni amplius, ſed Tribuni-
cia Poteſtate præditi fuerint.
Parum igitur abeſt, quin à
Lib. 53. Dione Caſſio, male forſan in-
p. 344. tellecto, humani quid tantis
viris accidiſſe mihi perſvaſerim.

Verba ejus ita ſe habent: Τὴν δὲ δὴ δύναμιν τὴν τῶν Δημάρχων πᾶσαν ὅση περὶ τὰ μάλιστα ἐγένετο, προστίθεντες, καὶ δι' αὐτῆς ℂ ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῶν, ὡς (φασὶ, non quia) ℂ καὶ ἔτος αὐτὴν μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων προβαίνει.

§. XX.

Denique, quum Tribuniciam hanc Poteſtatem, cum Imperatoria dignitate non ſimul quidem, ſed aliquot ſæpe annos antea, à Cæſaribus ſuſceptam, vidimus; non difficile erit probatu, annos poteſtatis illius in numis, non ab imperii, ſed Tribunicii potius faſtigii exordio fuiſſe ſignatos. Quamobrem Tiberio, Commodo, ceteris, plures Tribuniciæ Poteſtatis, quam imperii annos tribui, demonſtrat Spanhemius. Neque miretur aliquis, frequentem adeo hujus honoris mentionem in veterum numis occurrere, quum publica id

L. c. p. 701.

auctoritate ſancitum memine-
Annal. lib. rit Tacitus: *Ut publicis privatisque monumentis, ad memoriam*
3. c. 57. *temporum, non Conſulum nomina præſcriberentur; ſed eorum, qui Tribuniciam Poteſtatem gererent.* Hinc etiam anni *Tribuniciæ Poteſtatis* in Latinis, *Δημαρχικῆς ἐξουσίας* in Græcis Gruteri aliorumq; inſcriptionibus, utramque fere faciunt paginam. Nobis, pro inſtituti ratione, hæc delibaſſe ſufficiat, quum reliqua aliis, qui majori & otio & rei numariæ peritia abundent, perſequi, lubenter concedamus.

CAPUT TERTIUM

Concludit fatis Reip. Rom. ſub Tribunatu.

§. I.

TRibunicium hactenus faſtigium, uti ſummum, ita ſanctiſſimum quoque fuiſſe vidimus, majori nunc cum animi voluptate fata inde Reip. Romanæ breviter adumbra-

braturi. Quemadmodum enim cuncta ſuis heic vertuntur vicibus, ut nunc firmo conſtent talo, nunc lubrico iterum gradu poſita ſubſidant: ita & Reipubl. Romanæ, quæ inter omnes adeo eminuit gentes, ſuæ fuerunt mutationes, ſuus circulus, ut nunc ſimplicem, nunc diverſam omnino imperandi formam ſeſe induerit. Regibus tam diu ſuperbiit, usque dum Tarquinius, Regia Poteſtate in Tyrannidem converſa, Senatum convellere, in populum lævire, & ſingulos denique ſerviliter vexare cœpit. Quibus dominandi modis cum non deſiſteret, & urbe & regno cum omni ſtirpe a civibus fuit exturbatus, qui Legum in poſterum, quam Regum imperia mallent. Mox ad Conſules ſumma rerum devecta eſt; licet Populum quidem, tacito omnium conſenſu, maximam ſibi poteſtatem ſervaſſe putaverim: Ut non tam ab Optimatum,

quam populi arbitrio imperium pependerit. Quocirca hac in re cum Consulibus nimium imperii sibi arrogantibus, acerrime sæpe à Tribunis fuit expostulatum. *Utrum tandem*, inquit Canulejus apud Livium, *populi Romani, an vestrum summum imperium est? Regibus exactis, utrum vobis dominatio, an omnibus æqua libertas parta est?* Non igitur eos jam moror, qui Senatui nimium auctoritatis nullo non molimine concedentes, imperium populo penitus derogent. Nec Polybium tango, qui Rempublicam hanc in τρίμορφον quasi monstrum temere convertit: adeo ut *cum ad Consulum potestatem oculos referimus, prorsus monarchica ac Regia fuerit; cum ad auctoritatem Senatus, regimen Optimatum; cum ad populi imperium, liquido putet aliquis statum fuisse popularem.* Quum quæstiones & judicia per Italiam, provincias, belli denunciationes, non penes

Lib. 4. c. 4.

Lib. 6. p. 414.

nes Senatum modo, ut Polybius existimat, sed populum quam maxime fuisse, ex Livio aliisque satis constet.

§. II.

Quantumvis vero restricta fuerit hæc Consulum potentia, in id tamen, primis Reipubl. temporibus, excrevit fastigium, ut populo parum aliquando reliquerit auctoritatis. Ceterum cum hac in civium oppressionem violenter abuti & pleraque impotenter agere viderentur, Tribunos plebis, qui saluti publicæ consulerent, sibi elegit populus, quibus demum *nobilitatis opes semper sunt diminutæ, & jus populi amplificatum*, teste Sallustio. Unde facile apparet, quantum imperii Consulibus detraxerint, siquidem ad Patriciorum auctoritatem pariter ac injurias dissolvendas institutos eos fuisse in superioribus evicimus. Hinc Reipubl. maximo quoque fuerunt emolumento. Si quis enim in Po-

pu-

pulum ejusque jura insurgeret, in eum manus injicere ac sæ-vire jure sacratarum legum po-terant, χειμαλίζειν ἐιωθότες, ut loquitur Plutarchus, singulari quadam auctoritate interces-siones ac decreta sua interponen-tes. Ipsi tamen sacrosancti e-rant, ἀνυπεύθυνοι, inquit Dio-L. 2. nysius, πάσης δίκης τε & ζημίας, ὅτε βελῇ λόγον ἀποδιδόντες, ὅτε δήμῳ. Atque ita plebs, neque uni amplius, neque Optima-tibus fidere ausa, omnem in se & sua administratione, a Tri-bunis peragenda, spem repo-suit.

§. III.

Ceterum Aristocratiam il-lam, sibi adeo invisam, tam diu pressit populus, donec æqua-bilitas Democratica, quam in-tenderat, ex nimio cum Pa-tribus contendendi studio in vim ac continuas denique se-ditiones desciscceret. Modo e-nim turbulenti Tribuni, modo prævalidi Consules totum im-

perii

perii corpus eum in modum concutiebant, ut de communi ejus ſalute pæne fuerit conclamatum. Huic malo egregiè ſcilicet Sullani pariter ac Gracchani tumultus proluſerant, quorum furor furorem in dies traxit, ut reſpirationi vix locus daretur Reipublicæ. Quod cum integræ pridem diſſertationi materiam præbuerit; ita nobis heic ſtrictim notaſſe ſufficiat, emolumentum illud, quod e Tribunis ſibi promiſerant Romani, maximo demum illis fuiſſe detrimento. *Cauſſas enim*, inquit Florus, *ſeditionum omnium excitavit Tribunicia Poteſtas.* Tribunis Plebejis nihil magis ſollemne erat, quam omnia contentionibus miſcere, ac ſanctitate ſua in aliorum perniciem abuti. Hinc rapinæ, cædes exortæ, quibus privata pariter ac publica ſalus immenſum quantum fuit debilitata. Præcipue vero intimi illi motus poſt Julii necem ultimo Remp.

Lib. 3. c. 13. n. 1.

mini-

minitabantur excidio. Nec in mutuum ſui exitium contendere prius deſivere, quam ipſis demum fractis, Victor omnia corripuerit. Hinc Romani, tot calamitatum pondere delaſſati, non pares erant, qui Octavio ſe opponerent. Sed periculorum ac moleſtiarum pertæſi, libertatis potius, quam ſalutis jacturam facere voluerunt, Cæſari ſumma imperandi poteſtate ultro oblata.

§. IV.

Sic Octavius omnia ſibi in ſinum quaſi ſponte venientia ſuſcipit: eo tamen conſilio, ut ſub priſtini, ut antea diximus, ſtatus ſchemate, rerum ſummam obtineret. Hinc Dictaturam, quam communibus non dicam ſuffragiis, ſed magna quadam vi illi obtrudere volebant Romani, *genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus eſt.* Tribuniciæ tantum poteſtatis titulo ſe contentum profeſſus, quo & populi

Sveton. in ejus vita c. 52.

puli benevolentiam captaret felicius, & imperium simul sanctitatemque sibi melius confirmaret. In amandis, fovendis, ornandisque singulis civium, nullam intermisit operam, ut insidiosa quasi munificentia omnes, etiam qui conatibus ejus obsisterent, redimeret. Neque diffiteri quis poterit, Remp. tot discordiis fessam, tot malis perturbatam, aliter consentire, & in unum coire non potuisse, nisi *unius Prælidis nutu, quasi anima & mente regeretur.* Quod proinde hoc rerum statu magis pro beneficio, quam onere, Romanis fuit habendum. Verum divino Numini quantum hujusmodi imperiorum mutationes debeant, haud facile dixerim. Deus etenim, cum pacis Dominus, æternus Dei Filius, in terris esset gignendus, ita nativitatis momenta disposuit, ut dominante Augusto, pacis amantissimo, fierent. Cum spi-

Flor. Lib. 4. c. 3. n. 7.

ritum

ritum vix duceret orbis Romanus, omni & cladium & miseriarum genere pæne exhaustus, Salvator exoptatissimo sui adventu, novo quasi spiritu omnia refocillavit. Denique, cum Imperium sibi clam, alio quodam titulo, quæreret Augustus; ipse Filius Dei, Rex Regum, censum, cultum, obsequium palam illi præstitit, & ab aliis præstanda voluit.

§. V.

Non igitur id mihi sumserim, ut artes Augusti, quibus imperium callide in se traxit, infami tyrannidis titulo famosas reddam. Equidem propter bella Civilia, quæ Reipublicæ occupandæ gratia gessit, ipsamque insuper summæ potestatis occupationem, & invasorem & tyrannum eum quodammodo egisse, non negaverim. Ceterum, quum ea accesserit animorum conciliatio, ille unanimis Populi consensus, illud denique pactum, jus in imperium

rium legitime nactus est. Accedit & huc temporum conditio, quæ colorem aliquem Augusti instituto induxerit. Scilicet in novam quasi formam transfundenda esset Resp. nisi malis undique concurrentibus succumberet. Hinc simul de omnibus eam convertendi mediis cogitandum fuit, quibus tandem emergeret. Diversam vero hoc obtinuisset faciem, si stante Rep. hæc majestatis jura, sub quavis omnino specie, usurpare sustinuerit Cæsar. Quæ cum ita sint, duriuscule, ni fallor, hac in re versatus est Bodinus, qui subdolum hoc imperandi genus tyrannidis nomine tam diu venisse dicit, donec post plurimos, centum puta, annos, diuturna temporum præscriptio legitimæ creationis vim illi dederit. Neque exteriora modo in tanti Cæsaris imperio, quod a Deo ejusque dispositione repetendum ducimus, advertenda sunt. Ipsa

de Rep. l. 2. c. 5. p. 325.

viſcera potius ac interiora rimari præſtat, quibus ſingularis omnino Dei providentia ſe miſcuerit. Denique Auguſti imperium non laudatiſſimum modo, ſed & omnibus fuit exoptatiſſimum. Cuncta enim, quæ ad ſecuritatem ac firmitatem Reip. facerent, optime proſpexit, prudenter diſpoſuit, ſolide excoluit. Hinc cives etiam in Auguſtum exclamabant: *Utinam aut non naſceretur, aut non moreretur. Alterum enim peſſimi incepti, exitus præclari alterum.* Quapropter non temere adeo jactandum eſt illud, *conſenſum Senatus Populique Romani in deferendo Cæſari imperio ex metu profectum eſſe, ideoque jus idoneum non dediſſe.* Ubi complura tamen excipi poſſunt. Quod Auguſtus favore potius ac clementia hunc Populi conſenſum ſibi pepererit: ut ex amore rectius, quam metu, præcipue quum omnem violentiam depoſuerit Cæſar, hunc profectum fuiſſe, jure

Aurel. Victor epit. c. 1.

Bœcl. in Tacit. Ann. Lib. 1. c. 10, p. 333.

jure dixeris. Quod consensus ille & obsequiis & juramentis in dies fere a civibus fuerit redintegratus. Denique quod metus majoris alicujus mali, consensum ac jus obligationis nec tollat nec evertat: nisi pacem, quam quis metu hostium inierit, irritam esse probes. Quapropter illa Ciceronis verba apud Dionem non crude adeo sunt accipienda: μὴ ἄν ὅσα κελευόμενοι ϵ καταναγκαζόμενοι, ϵ θρηνοῦντες δεδωκέναι αὐτῷ ἐδόξαμεν, ταῦτά τις ὡς ϵ νομίμως ϵ δικαίως γεγονότα παραβαλλέσθω. ὡδὲ γὰρ ἐν τοῖς ἰδίοις, ὅσα ἄν τις ἕτερος ὑφ' ἑτέρου βιαιοθεὶς πράξῃ, κύρια τἄλλα τηρεῖται. *Nec est, quod aliquis regerat ea, quæ jussi coactique, non sine luctu, ei concedere visi sumus, tanquam legitime ac jure concessa. Quum nec in privatis rebus, rata serventur, quæ quis ab alio coactus fecit.* Quin potius & legitimum & absolutum Augusti hoc fuisse imperium, ex iis, quæ hactenus

Lib. 45. p. 319.

dicta ſunt; ſatis ſuperque conſtat. Licet nec Romanam hanc, nec ullam Rempublicam, omnibus adeo numeris abſolutam jactaverim, quin plurimum undique occurrat imperfectionis. Scilicet divinæ id debetur ſapientiæ, ut aliam cogitemus patriam, quæ ſine ulla viciſſitudine æternum ſit permanſura. Interea illud Imperii genus, ſub quo naſci alicui contigit, debet illi & optimum eſſe & cariſſimum.

dicta ſunt; ſatis ſuperque conſtat. Licet nec Romanam hanc, nec ullam Rempublicam, omnibus adeo numeris abſolutam jactaverim, quin plurimum undique occurrat imperfectionis. Scilicet divinæ id debetur ſapientiæ, ut aliam cogitemus patriam, quæ ſine ulla viciſſitudine æternum ſit permanſura. Interea illud Imperii genus, ſub quo naſci alicui contigit, debet illi & optimum eſſe & cariſſimum.